

562 130

2710. II

C. D.

CORDOLIUM.

Solatii mixturâ temperatum,

Quod

Super sancto funere,

VIRI

Admodum Reverendi, Excell. & Clariss.

DN. BALTHASARIS ~~KNABEN~~

SS. Theol. Licent. & Superintendentis Ecclesia-
rum Stralsundensium longè meritisimi
ac fidelissimi,

Pridiè Calend. Martias IX. Vespert. beatè mortui,
in,

Debitæ pietatis & Gratitude testimonium, nec
non pii affectûs ultimum documentum.

Significare & contestari voluerunt Cognatus & Agnati.

ANNÔ

IVIt VIr beatVs eXhIs terrIs ad CHRISTVM,

Vbl paX est & reqVies.

[1658]

Sunt aliquid manes, nec semper somnia fallunt;
Heu nimis eventu somnia vera suo!
Nox erat, ut tacitæ per amica silentia Lunæ
Composui lectò membra levanda meò:
Mox mihi Pieriis residere videbar in hortis,
Nectere & insolitos verba jocosæ pedes.
Pallida mors, nunquam tragicis satiata triumphis,
Tetra videns, asini durâq; premens,
Nescio quem secum vicina ex urbe trahebat
Insignem & clarum dexteritate Virum.
Ponè sequebatur Charitum blandissima Triga,
Quæis mens sit eadem semper & una fides.

A

Ibat

St 895

ibat & incompitis moerens Elegia capillis,
Dilaniata comas, Syrmate cincta nigrò.
Ibat & atratis circumdata tempora vittis
Relligio, & largas ejaculatur aquas.
Obstupeo. Mox me somnus rellequit, & (heu!)
Omnia visa queror seria facta nimis.
Scilicet occubuit raptus vitalibus auris;
Feriale & Naulum moestus in ore gerit:
Hic Vir, quem meritò doleas, & causa dolorum est:
Qui incoxit pectus Relligione pium.
Qui tot Stralsfundum meritis ingentibus urbem
Ornavit, quæ non Fama tacebit anus.
Ah, quæ non curæ depastæ corporis artûs,
Sacri ut SACRA Chori ritè peracta forent!
Id quod præcipuè collecta Ecclesia CHRISTI
Finibus in nostris sensit, & usque cupit.
Sensit idem Gryphicis sedes charissima Musis,
Utiuum Genitrix ingeniosa Virum.
Sensit opem magnam, dum vixit, publicus usus,
Sensit & ipse Chorus, sensit & ipse Thorus.
Ast qui nuper erat, fuit heu! nunc desiit esse,
Ac plenus meritis morte reliquit humum.
Morte reliquit humum, quem tot suspiria cordis
Vivere millecuplis expetiere modis.
Non doctrina potest, non virtus flectere Parcas,
Non candor, non mens, quæ venerata DEUM.
Nec Pietas, nec sacra Fides, nec fervor agendi,
Zelusve in cunctis partibus officii.
Vos, agite, atratis redimiti Tempora vittis
Exequias tristes Palladii ite chori.
En pia Religio, triplex & triga Dearum,
Numina & exequias cuncta frequenter eunt!
Flent


Flent nervi, Cytharæ flent omnes, omnia lugent;
Ipsaq; feralis carmina Pedor habet.
O crudele nimis Fatum, Parcamq; severam!
Defleat hanc quis non Mortis avaritiem?
Imperiò quod tu careas, Mors atra putabas,
Hunc si non raperes vi vehemente Virum.
Quis te, tantarum confidentissima rerum,
Theiologum doctas jusfit adire domus?
Jactitat in vita robustum Ganeo corpus;
Qui prodesse potest Mortis agone cadit.
O festina dies, atris signanda figuris!
O mors vipereâ fauce venena vomens!
Vellem ego, sed reprimò me; nam scio, mors homi-
Quicquid agit, quod agat sic statuente Deò. (da
At, quid flere juvat, variisq; vacare querelis,
Ungvibus & madidas dilaniare genas?
Cum nullus possit superas evadere ad auras,
Mutos in cineres spiritus ut redeat.
Non opis est nostræ, quod vitam hòc vivimus orbe;
A vitæ vitâ, quæ datur, una datur.
Nec nostrum est aliquam morti præscribere metam,
A nostro cum non pendeat arbitrio.
Fictilis urna manet cunctos, & nemo cruentam
Evitare Necem, fallere nemo, potest.
Mittite tristitiam: mors surdis auribus audit,
Verba & dat levibus diripienda Nothis.
Religio sed signa gerens manifesta salutis,
Et Luctus finem Pierides faciunt.
Est ita; vir talis gustavit mortis acorem,
Cujus laus laudi nulla sat esse potest.
Invidit nostro tantum decus Atropos orbi,
Ipse sed omne malum, & morte pericla fugit.

Umbra

Umbra levis vita est, & bulla, est testula vitri;
Immò si volumus dicere vera, N I H I L.
Noscite præsentem, quàm sit mœstissima, vitam:
Vitæ coelesti & dedita corda DEO.
Quæritis exemplum? Dedit hoc lachrymabile funus,
Ac, utinam Funus non daret, opto gemens!
Qui decus Ædis erat sacræ, Decus urbis & ingens,
Proh! jacet elingvis, vir hic, & ecce! tacet.
Qui modò Lumen erat, jacet hîc sine luminis usu,
Et sine voce jacet, qui modò Doctor erat.
Non tamen interiit, cœlestia regna petivit
Mens, ubi cum Sanctis gaudia mille capit.
Huic si parva quies: nobis maris æquor arandum est,
Monstrabit portum sed tamen ipse DEUS.
Augustinus Muselius.

Luctus, ploratus Sundana auditur in urbe,
Luctum, ploratum, Gryphica Sylva sonat.
Quid mirum? lugent denatum, quem superesse
In multos annos quilibet expetiit.
Idcirco meritò cumulatis luctibus addo
Luctum, ploratum, Patrue chare, meum.
Cum voto annexo, jaceant ut pallida membra
In tumulo placidè, dum vocat ipse DEUS!
Joachimus Rbaw.

Quo luctu tua fata sequar, mi Patrue? nullus
Flectere te potuit, Patrue chare, dolor?
Ah ego si possem tecum comes ire per umbras!
Nil nunc dulce mihi te sine, Patrue, erit.
Ast cum te, dolor heu! vocat irrevocabile Fatum,
Ito bonis avibus, quò tua fata volunt.
Ut tua per mœstum maneant me dona nepotem,
Nunquam desistas sollicitare DEUM.
Balthasar Rbaw.



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.